1293. aaa. 6

NOVA ET EXPEDITA VIA COMPARANDÆ LINGUÆ LATINÆ.

AUTHORE
GUILIELMO PERKINSO,
~~OLIM~~
CANTABRIGIENSI.

Jam recèns in uſum ſtudioſorum edita.

LONDINI,
Apud THOMAM HARPERUM.
1644.

Lectori S.

DOno te, Lector, his paucis paginulis. Quæris, quid velint? Semitam tibi explicant ad parandam eloquentiam, modò regiam ignores viam. Propono quidem eas, non quòd putem ab exquisita quadam ratione & doctrina esse profectas: sed quia juvenibus Academicis ad literas erectis animos addere & adjumenti aliquid apportare volui. Multi enim strenuè desudant in Latinis literis, & eximium inde proventum sperant: sed eventus fructum dat pertenuem spemq; viduam relinquit. Quo-

circa ut huic occidenti studio paulum opis afferrem, non potui temperare mihi, quin emitterem has nugas: quas, admodùm esse fructuosas, experiens probavi. Quod si fuerint è re tua, gaudebo: sin minùs, hac me tamen solabor conscientiâ facti mei, quòd te juvare pro tenui mea parte, sum conatus.

CAP.

CAP. 1.

ELoquentia non est viva jam & actuosa in hominum linguis sed in libris tota est mortua. Quocirca qui instruendus est ad eloquentiam in libris Latinorum hominum assiduè versari debet.

Libri verò ad rem istam maximè opportuni sunt ejusmodi.

1. *De rebus communibus & in medio positis Ciceronis & Plinii secundi Epistolæ.*
2. *De rebus Bellicis, Cæsaris Commentarii.*
3. *De Dialecticis, Tullii topica.*
4. *De Physicis, Plinii Historia naturalis.*
5. *De rebus Domesticis, Columella.*
6. *De Medicis, Cornelius Celsus.*
7. *De Rhetoricis, Ciceronis libri de Oratore.*
8. *De Ethicis, Tusculanæ quæstiones.*

CAP. 2.

MOdus legendi hos libros omnis non placet. Multi quando legunt eos, aucupantur certas argutias phrasium, & elegan-

tias verborum reponunt in codicem: ſed re certè vera, tenues iſta ratio proventus dabit: & omninò abeſt, unquam ut reſpondeat exſpectationi ſtudentis. Quocirca dedi operam, ut commodior extaret ratio perveniendi ad germanam eloquentiam. Ejus partes ſunt duæ: prima de comparanda verborum copia, altera de verbis ritè diſponendis. Copia verborum paranda eſt per verborum reminiſcentiam. Partes ejus ſunt Applicatio & Agglutinatio.

CAP. 3.

APplicatio eſt cum vel ſententia, vel phraſis, vel verbum in his libris obviũ, ſubjecto ſuo attribuitur & accommodatur. Subjectum verbi, eſt vel res aliqua vel actio Lectori familiaris & nota, cui verbum id appoſitè conveniat. Subjectum ut inſerviat reminiſcentiæ. 1. Debet eſſe aſpectabile. 2. Collocatum in proprio loco, & propriis ornatum circumſtantiis. 3. Non vulgare ſed excellens. 4. Perpetuò ſui diſſimile. 5. Singulæ ejus circumſtantiæ verbis ſuis aptandæ. Rem exemplis illuſtro.

Exemplum 1.

Tullius, Epiſt. Fam. lib. 5. 12. *Quam quidem laudem ſapientiæ ſtatuo eſſe maximam non aliũ* dispen-

pendere, nec extrinsecus aut benè aut malè vivendi suspensas habere rationes. Quæ cogitatio cùm mihi non omninò excidisset (etenim penitùs insederat) vi tamen tempestatum & concursu calamitatum erat aliquantulùm labefactata & convulsa.

Exempli applicatio.

Hanc quidem Papistarum dementiam statuo esse maximam; quòd volunt nos aliundè pendere, & extrinsecus ab alterius fide salutis suspensas habere rationes.

Fides, cùm Petro non omninò excidisset (etenim penitùs insederat) vi tamen vocis puellæ & Satanæ insultu velut tempestate erat aliquantùm labefactata & convulsa.

In hoc exemplo subjecta sunt Papistica dubitatio, & Petri lapsus. His ego verba Ciceronis applico, quia mihi nota sunt & subindè facilius in animum incurrunt.

Exemplum 2.

Cicero pro Fonteio. An verò dubitatis (Iudices) quin insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeant & gerant cum populi Romani nomine.

Applicatio.

An verò dubitatis (viri optimi) quin insitas inimicitias Hispaniæ gens omnis & habeat & gerat cum populi Anglicani nomine.

Exemplum 3.

Cic. pro Fonteio. Itaq; Tiburium Toloſæ quaternos denarios in ſingulas vini amphoras portorii nomine exegiſſe.

Applicatio.

Oenopôlæ Londini ternos denarios in ſingulas vini pintas pretii nomine exigunt.

Exemplum 4.

Cic. Act. in Ver. Lib. 1. Erat Comes ejus Rubrius homo factus ad iſtius libidines.

Applicatio.

Campianus homo factus ad Gregorii Papæ libidines.

Exemplum 5.

Cic. in Ver. Ipſe in oppidum aſcendere noluit, quòd erat difficili aſcenſu atq; arduo.

Applicatio.

Pueri in Cantabrigienſe Caſtellum undiq; accedunt, quamvis eſt difficili aſcenſu atq; arduo.

CAP. 4.

AGglutinatio eſt quâ verba, phraſes, ſententiæ, ſubjectis ſuis vel rebus ita ſunt affixa, ut ſimul cum iis in memoriam redeant. Verba quidem difficile eſt memoriæ mandare per ſe: ubi tamen rebus notis & ob oculos poſitis applicata quaſi agglutinantur, fit neſcio quo pacto, ut ſimul cum rebus in animum

mum obrepant & faciliùs intelligantur. Agglutinationis adjumenta tria sunt.

1. *Relatio applicati in codicem.*
2. *Applicati ante somnum intenta meditatio.*
3. *Applicati submurmurans et iterata lectio.*

CAP. 5.

HActenus de copia verborum; sequitur verborum Dispositio: cujus duæ partes, Conjunctio & Oratoria Compositio.

Qui germanæ eloquentiæ studiosus est diligenter observare debet conjunctionum elegantias, eásque seorsim in codicem reponere, ut in similibus imitando, ad usum in scribendo & loquendo expromat. Stylus enim nihil est aliud quàm tumida congeries verborum, nisi vocabulum fuerit aptatum & nexum vocabulo per vinculum idoneæ conjunctionis juxta priscam consuetudinem Latinorum. Animi mei sententiam exemplis illustrabo.

Exemplum 1.

Tullius.— ALITER, AC *dictum est, retulisse in tabulas.*

Imitatio.

ALITER, AC *sperabat ille, contigit.*

ALITER *omnia futura sunt* ATQVE *Astrologi prædixerunt.*

Hoc

Hoc exemplum emendat barbarismos (non scripsit id quod dictum est : quod ille sperabat non contigit.) Ejusmodi loquutiones in vulgus frequentissimè jactantur. Congruas quidem esse agnoico, elegantes tamen esse non concedo. Iis autem, Tullium imitando, nitorem quendam asperseris.

Exempla alia.

Cic. pro Marcello. Vereor, ut hic quod dicam, NON PERINDE *intelligi auditu possit,* ATQVE *ego ipse cogitans sentio.*

Cic. Epist. Att. Lib. 7. Ego me ducem in civili bello QVOAD *de pace ageretur, negavi posse:* NON QVIN *rectum esset :* SED QVIA, *quod multo rectius fuit id mihi fraudem tulit.*

Cic. Q. Frat. Lib. 1. 2. Hæc genera tollantur epistolarum, PRIMUM *iniquarum.* DEINDE *contrariarum,* TUM *absurdè & inusitatè scriptarum,* POSTREMO *in aliquem contumeliosarum.*

Cicero. Epist. Fam. Lib 9 2. Censeo tacendum TANTISPER IBIDEM, DUM *defervescat hæc gratulatio.*

Cæsar. Lib. 6. Bell. Gall. Nec PRIUS *sunt visi objectis ab ea parte sylvis, quàm castris appropinquarent,* USQUE EO UT *qui sub*

ſub vallo tenderent mercatores, recipiendi ſui non haberent facultatem.

Cæſar. Lib. 3. Bell. Gall. LONGE ALIAM *eſſe navigationem in concluſo mari* ATQUE *in vaſtiſſimo & apertiſſimo Oceano.*

Hujuſmodi conjunctionum in Latinis ſcriptoribus non exiguus eſt numerus. Has autem velim conquiri & in ſcribendo diligenter exprimi. Mirum eſt enim videre, quemadmodum hæ minutiſſimæ linguæ Latinæ particulæ orationem, quæ cæteroquin diluta eſt & humilis, ornaverint.

CAP. 6.

SUpereſt Oratoria compoſitio, cui ex omnibus maximè ſtudendum eſt: quia diligenter adhibita & ornatum orationi & vim præbet. Si ad nataræ ductum componis orationem, ut plurimum habebit aſperitates & hiatus verborum, qui non placebunt, ne ſtupidiſſimis quidem auribus, ut in hac ſententia; *Omnis Gallia eſt diviſa in tres partes.* Itaque, qui ab oratoria laude exiſtimationem quærit, aliam longè diverſam compoſitionem adhibere debet. Cujuſmodi eſt ea qua Cæſar in dato exemplo eſt uſus.

Gallia eſt omnis diviſa in tres partes.

Dices

Dices, velle te præclarum hoc artificium coagmentandæ orationis consequi. Optimè. Curare idcirco debes, ut in singulis sententiis verba sonum habeant facilem, distinctum, plenum, aptè conclusum. Id autem tribus modis effeceris.

1. Primùm, sententias Ciceronis benè compositas dissolvito; quod ubi diu feceris aures tuæ peritè judicabunt inter sententiam compositam & eandem dissipatam.

Exemplum 1.

Cic. in Ver. Act. 2. li. 1. Est enim obscurum aut ejusmodi factum ejus ut possit aliquis suspicari.—

Dissolutio.

Est enim factum ejus aut obscurum aut ejusmodi ut aliquis suspicari possit. ——

Exemplum 2.

Cic. de Divin. lib. 1. Quid? de fulgurum vi dubitare num possumus?

Dissolutio.

Quid? Num dubitare possumus de fulgurum vi? ——

Exemplum 3.

Ibid. Gentem quidem nullam video neq; tam humanam atq; doctam, neque tam immanem atque barbaram, quæ non significari futura & à quibusdam intelligi prædicíq; posse censeat.

Disso-

Dissolutio.

Video nullam gentem neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamq; barbaram quæ non censeat significari futura & à quibusdam intelligi prædicíq; posse.

Ista qui sæpè contulerit, collocatam sententiam cum eâdem dissuta & diffluente, tandem erit compositionis artifex.

Secundò, sententias Ciceronis tibi ignotas amicus tuus & condiscipulus dissolvat: ab eodem dissolutas accipito & rectè collocare pro virili conator: ubi conatum adhibueris eundem amicum vel condiscipulum rogato, ut easdem tibi sententias è Cicerone ostendat; quas ubi aspexeris, penitus constabit, à te erratum sit nécne sit. Ita Ciceronem tanquam vivum præceptorem adhibere in consilium potes. Exempli gratia sit hæc sententia, quam amicus in meam gratiam occultè dissolvit.

Illud etiam addo puerum jam dare mihi multa signa & pudoris & ingenii: sed ætatem vides.

Hanc ego existimavi ita esse componendam.

Illud etiam addo, puerum jam multa & pudoris & ingenii signa dare: sed ætatem vides.

Et hoc quidem (ut ego opinábar) bellè factum; ubi autem aspexissem exemplar illud, quod

quod amicus me celabat, opinionem minuebat. Id enim sic erat.

Addo etiam illud, multa jam mihi dare signa puerum & pudoris & ingenii: sed ætatem vides.

Tertiò, Ciceronis sententias exquisitè dispositas tanquam exemplaria ob oculos proponito: & easdem in similibus sententiis effingendis imitator. Quemadmodum faciunt pueri, quando primùm discunt literas pingere.

CAP. 7.

HUjus viæ triplex fructus, si adhibes laborem & constantiam.

1. Alit reminiscentiam verborum & sententiarum.

2. Faciet te eleganter Latinè loqui de rebus omnibus, etiam de communibus & in medio positis.

3. Requirit continuam scriptionem & perpetuam styli exercitationem, qui dicendi magister est.

FINIS.